

GLÓRIA IN EXCÉLSIS DEO; Et in terra pax hominibus bonæ voluntátis. Laudámus te. Benedícimus te. **ADORÁMUS TE.** Glorificámus te. **GRÁTIAS ÁGIMUS TIBI** propter magnam glóriam tuam. Dómine Deus, Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens. Dómine Fili unigénite, **JESU CHRISTE.** Dómine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis, qui tollis peccáta mundi, **SÚSCIPE DEPRECATIONEM NOSTRAM,** qui sedes ad dexteram Patris, miserére nobis. Quóniam tu solus Sanctus. Tu solus Dóminus. Tu solus Altíssimus, Jesu Christe. Cum † Sancto Spírítu in glória Dei Patris. Amen.

Munda cor meum ac lábia mea, omnipotens Deus, qui lábia Isaíæ Prophétæ cálculo mundásti igníto: ita me tua grata miseratióne dignáre mundáre, ut sanctum Evangélium tuum digne valeam nuntiáre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Jube, Dómine benedícere. Dóminus sit in corde meo et in lábiis meis, ut digne et competénter annúntiem Evangélium suum. Amen.

QREDO IN UNUM DEUM, Patrem omnipoténtem, factórem cœli et terræ, visibílium ómnium et invisibílium. Et in unum Dóminum Jesum Christum, Fílium Dei unigénitum. Et ex Patre natum ante ómnia sœcula. Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero. Génitum, non factum, consubstantiálem Patri: per quem ómnia facta sunt. Qui propter nos hómines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. **ET INCARNÁTUS EST DE SPÍRITU SANCTO EX MARÍA VÍRGINE: ET HOMO FACTUS EST.** Crucifíxus étiam pro nobis; sub Póntio Piláto passus, et sepúltus est. Et resurrexit tértia die, secúndum Scriptúras. Et ascendit in cœlum: sedet ad dexteram Patris. Et íterum ventúrus est cum glória judicáre vivos et mórtuos. Cujus regni non erit finis. Et in Spírítu Sanctum, Dóminum et vivificántem: qui ex Patre Filióque procedit. Qui cum Patre, et Filio simul adorátur et conglorificátur: qui locútus est per Prophétas. Et unam, sanctam, cathólicam et apostólicam Ecclésiám. Confíteor unum baptísma in remissionem peccatórum. Et expécto resurrectionem mortuórum. Et † vitam ventúri sœculi. Amen.

Súscipe, sancte Pater, omnipotens ætérne Deus, hanc immaculátam hóstiam, quam ego indignus fámulus tuus offero tibi, Deo meo vivo et vero, pro innumerábilibus peccátis, et offensióibus, et negligétiis meis, et pro ómnibus circumstántibus, sed et pro ómnibus fidélibus Christiánis vivis atque defúntis. Ut mihi, et illis proficiat ad salutem in vitam ætérnam. Amen.



Qui pridie quam paterétur, accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas, et elevátis óculis in cœlum ad Deum Patrem suum omnipoténtem tibi grátias agens, bene†dixit, fregit, dedítque discíplulis suis, dicens:

Accípite, et manducáte ex hoc omnes:

HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

Símili modo postquam cenátum est, accípiens et hunc præclárum Cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas: item tibi grátias agens, bene†dixit, dedítque discíplulis suis, dicens:

Accípite, et bíbite ex eo omnes:

**HIC EST ENIM CALIX SÁNGUINIS MEI,
NOVI ET ÆTÉRNAI TESTAMÉNTI:
– MYSTÉRIUM FÍDEI –
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS
EFFUNDÉTUR
IN REMISSIÓNEM PECCATÓRUM.**

Hæc quotiescúmque fecéritis,
in mei memóriam faciétis.

Offerimus tibi, Dómine, cálicem salutáris tuam deprecántes cleméntiam: ut in conspéctu divínæ majestátis tuæ, pro nostra et totíus mundi salute cum odóre suavitatís ascéndat. Amen.

In spírítu humilitátis, et in ánimo contríto suscipiámur a te, Dómine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine Deus.

Veni, Sanctificátor omnipotens ætérne Deus. Et bene†dic hoc sacrificium tuo sancto nómini præparátum.

Súscipe sancta Trínitas, hanc oblatiónem, quam tibi offerimus ob memóriam passiónis, resurrectionis, et ascensionis Jesu Christi Dómini nostri: et in honórem beátæ Mariæ semper Víriginis, et beati Joánnis Baptistæ, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istórum, et ómnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honórem, nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignéntur in cœlis, quorum memóriam ágimus in terris. Per eundem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Hæc commíxtio et consecrátio Córporis et Sanguinis Dómini nostri Jesu Christi fiat accipiéntibus nobis in vitam ætérnam. Amen.

Dómine Jesu Christe, qui dixísti Apóstolis tuis: Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis. Ne respicias peccáta mea, sed fidem Ecclésiæ tuæ: eámque secúndum voluntátem tuam pacificáre et coadunáre dignéris. Qui vivis et regnas Deus, per omnia sœcula sæculórum. Amen.

Dómine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntáte Patris, cooperánte Spírítu Sancto, per mortem tuam mundum vivificásti: líbera me per hoc sacrosánctum Corpus et Sanguinem tuum ab ómnibus iniquitatibus meis, et univérsis malis, et fac me tuis semper inhærere mandátis, et a te numquam separári permíttas. Qui cum eódem Deo Patre et Spírítu Sancto vivis et regnas Deus in sœcula sæculórum. Amen.

Percéptio Córporis tui, Dómine Jesu Christe, quod ego indignus súmeré præsumo, non mihi provéniat in judícium et condemnatiónen; sed pro tua pietáte prosit mihi ad tutaméntum mentis et cörperis, et ad medélam percipiéndam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spírítus Sancti Deus, per ómnia sœcula sæculórum. Amen.

Pláceat tibi, sancta Trínitas, obséquam servitútis meæ: et præsta, ut sacrificium quod óculis tuæ majestátis indignus obtuli, tibi sit acceptábile, mihiq; et ómnibus pro quibus illud obtuli, sit te miseránte propitiábile. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.